



СТОДЧЕНІА  
LOGICÆ  
ET METAPHYSICÆ



BC78

.L3

S7

c.1



1080046310

E#46#98

16-11

11  
S.

SIGISMUNDI STORCHENAU

IN ACADEMIA VINDOBONENSI

LOGICÆ ET METAPHYSICÆ

PROFESSORIS FUR. ORD.

INSTITUTIONES

METAPHYSICÆ

LIBER I. II.



110552

VENETIIS

*Cypri Andreae filiique Santini*

1833

ANNO 1833  
ACADEMIA VINDOBONENSIS  
PRINTA ET DEDICATA  
AD HONOREM ET MEMORIAM  
SIGISMUNDI STORCHENAU

39525

## PROLEGOMENON

### IN METAPHYSICAM.

QUID METAPHYSICA?

**I.** *Metaphysica* est scientia, que notiones maxime universales in examen vocando, et principia demonstrationum generalissima constitundo, accuratissimas de rebus quibusvis ideas animo informare docet.

*Sch.* Nominis originem docet (§. 19. logic.). Definitionis vero allatae veritas ex ipso operis totius decursu palam fieri.

QUAE EJUS PARTES?

**II.** Rebus notae ad tres summas classes reducuntur, Deum, animas, et materiam, ex qua corpora mundum aspectabilem constituentia coalescent: notiones quedam omnibus, quedam singulis separationem communis sunt. Quatuor inde oriuntur metaphysicae partes: *Ontologia*, in qua notiones omnibus, atque singulis communis contemplatur nominatio; *Cosmologia* eas, quae huic aliisque mundis possibilibus; *Psychologia*, quae animabus tam humanis, quam belluinis; *Theologia*, quae Deo competunt, investigat.

*Schol.* Wolff hae est partitio, hodieque ab omnibus fere melioris notae philosophis, si Dariesium demas, retinetur. Meantem opinionem istud metaphysicae nomen sola sibi ontologia verius vindicat, reliqui partibus totidem separatas disciplinas constituentibus, quae principiis ontologicis proxime nituntur, ipsa enim sola in notiones maxime universales inquirit, generalissimaque ratiociniorum principia subministrat: haud igitur aberraverit a vero, qui cosmologiam, psychologiam, et theologiam alias reipsa esse negaverit, quam applicationem ontologiae, sen potius metaphysicae ad doctrinam de mundo, anima, et Deo quemadmodum id quoque in aliis omnibus praecipu theoreticis scientiis usuvent. Verum utcumque res sit, ego usitatam hodie metaphysicae explanandae partitionem, ac methodum sequar.

QUIS VSUS?

**III.** *Metaphysica servit ad alias scientias omnes et facilis et solidius condiscendas*. Qui facilis et solidius ratiocinatur, qui que accuratiores de rebus, quas unaueque scientia suo ambitu complectitur, ideas efformare novit, is quoque quamvis scientiam



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA  
DEL ESTADO DE NUEVO LEÓN

genus homines metaphysicam vix summis degustarunt labiis. Si tamen doceri velint, dicendum: metaphysicae subtilitates in eo solum consistere, ut quodvis cogitationi objectum ex omni parte, ac sua omni possibili ad alia relatione acute expendatur; ut notae ab individuis objectis per abstractionem separatae seorsum attente explorentur: ut denique quid quaevis idea simile, vel dissimile cum altera contineat, accurate pervideatur, quibus in rebus sumnum est solidam eruditioinem comparandam momentum.

Periculoso metaphysicae studium esse, ipsiusque castissimae Religionis fundamenta ruinam minitari conqueruntur alii: asserti rationem inde petunt, quod ab eo fere tempore, quo disciplina haec magis excoli capiit, perditissimorum hominum numeros mirum in modum auctus sit, qui principiis metaphysicis ad impugnandum Religionem, atque ad subvertendam, quae divinobis munere obtigit, revelationem abutantur. Verum querela haec quantumvis ex parte acquiescita, ejus est modi, ut non solum neminem, ab hoc studio arcere, sed acrioribus potius stimulis cordatiorem quemque ad id incitare debeat. Imprimis enīa non est tribuendum metaphysicæ, quod a malitiosa nonnullorum calliditate, aut ignorantia presicitor, habetque hic præcipue locum, quod Verulamus generatio de philosophia sapientissimo pronunciavit: "Philosophia obiter libata a Deo abducit; penitus hausta reducit ad eundem (*De augment. Scient. t. 1. p. 10.*)". Deinde nonne necessare est, ut iisdem, quibus in nos utuntur impi Religionis hostes, armis impellantur, utque ex iisdem principiis convincantur? Alia certe non suppetit pugnandi ratio; non hic SS. Litterarum auctoritati, non SS. Patrum testificationibus, non vetustissimis historiarum monumentis locus est; ad unum rationis tribunal ipsi provocant; hujus unius imperium se revereri, hujos unius præceptiorum se sequi profitentur; ex ratione igitur, ejusque primis principiis, quae in metaphysica evolvuntur, impugnandi, ac refutandi sunt. Quare si nulla umquam, hac certe aetate, qua pestis haec contingenter latius serpit, metaphysicae studium maxima omnibus opere commendandum est: dum patria periclarum, nemini civium integrum est otio contabescere, et abjectis armis vallum et moenia hosti prodere; an nobis ergo otiosis esse spectatoribus licet, dum profani homines in Religionem, quae patria, vitaque ipsa unicuique nostrum carior esse debet, arna vertunt? Sed sat is metaphysicæ praestantia.

Ad extremum querelæ fortassis aliquid, quæ origo, quæ progressio fuerit metaphysicæ? quorum virorum constitutus ad eum, quo odie gloriantur, splendorem adducta sit? his prope verbo sa-

et facilius et solidius condiscit; sed ad utrumque metaphysica hominem paratiorem efficit (§. 1.); igitur et id praestat, ut quaevis alia scientia et facilius et solidius comprehendatur.

*Scol.* Utilitas igitur metaphysicæ in omnes omnino disciplinas, in quibus aliquis ratiocinio locus est, se diffundit; certe in physica, in moralibus, in ea quae sublimiora scrutatur mysteria, id est theologia, in jurisprudentia, in therapeutica sine metaphysicis priopriis nihil recte suscipi, necque magnam fieri progressionem in aperto est, quando haec disciplinae animum in ratiocinio, principiorum generalium ope contexendis, egregie exercitatum et nationibus universalibus entis, substantiae, corporis, ejusque elementorum; tum specialioribus spiritualitatis videlicet, immortalitatibus, ac libertatis anima humanae, existentiae denique, providentiaeque divinae ideis imbutum requirunt. Idem ob eamdem prorsus rationem de mathematicis, de oratoria, ceterisque artibus, quin etiam de negotiis paulo gravioribus in humano commercio occurrentibus affirmari verissime potest, ut viri harum rerum peritissimi non diffidentur.

Universum denique sine metaphysicæ adjumento nemo ullus cognitionem profundam, solidamque sibi comparabit: qui enim in metaphysicis rudis est, destitutus certis, ac indubitate principiis distincte cognitis, ad quae iudicia sua et ratiocinationes revocet. Jure igitur optimo summis encōmis ab eruditis extollitur metaphysica, jamque *Philosophia Prima jam Principium et omnium scientiarum fundamentum*, jam *Scientia universalis*, aut denique *Scientia per excellentiam compellatur*.

At enim non omnibus has probatur. Sunt, qui malleant nobilissimam hanc scientiam, totique humano generi maxime proficiam ex orbe ipso exulare. Duplex horum hominum genus est: alii vanissimis eam subtletibus referunt, neque ad aliud, quam ad inanem ingeniorum otiosorum partus edendos, atque ad alienandas inter sapientes discordias natam clamitant; inde quidquid futile, vanum, ac inane in hominum ratiocinii deprehendunt, metaphysicæ tribuunt, illud sibi familiare perpetuo occidentes; *haec ad metaphysicæ referenda sunt*; quo vocabulo, nescio, quod monstrum biceps se denotasse arbitratur. Hi quidem tolerari aliqua possent ratione, si veterem peripateticorum metaphysicam carperent; hodie vero nequaquam, cum ea scientia a summo perfectionis apice proxime absesse videtur. Sed quid iam obtrectatoribus hujusmodi respondeas? nihil certe accommodatus trito illo: *Ars osorem non habet nisi ignorantem*; nam id

tisfaciam. Primum quidquid communem cum reliqua philosophia fortunata experta fuit metaphysica; cum ea exorta, lentisque passibus progressa; cum ea collapsa; cum ea denique post generalem in Europa litterarum instauracionem restituta, brevissimumque intra tempus maximis accessionibus aucta est (proleg. in phil.). Deinde restituta amplificateaque gloriam praecepue sibi vindicant Cariesius, Gassendus, Leibnitius, quos Wolfius, aliquie complures praestantissimi viri in hunc usque diem secuti sunt, et ut spes est, sequentur: porro horum ego nomina doctissimosque labores, ut occasio tulerit, abunde laudabo.

## LIBER I.

## ONTOLOGIA.

## PROLEGOMENON.

QUID' ONTOLOGIA?

IV. Ontologia notiones Deo, animabus, materiaeque, ac coalescentibus inde corporibus communes contemplatur (§. 2). Deus animae, materia in eo convenient, quod sicut cilia: igitur tota est in notione entis evolenda, atque inde nuncupatur ontologia, ac vulgo definitur per scientiam entis, in genere.

QUID IN EA PERTRACTANDUM?

V. Notio entis non rite expenditur, nisi una proprietatis illius, ac diversae species in examen vocentur: igitur in notione entis examinanda ita versari debet ontologia, ut et generales entis proprietates, et diversas eorum species distincte proponat.

VI. Porro in notibus hisce evolendis quam saepissime demonstrationis locus est; demonstratio vero certa, ac indubitate principia postulant (§. 197. log.). Quare ad ontologiam vehementer pertinet, ut primo omnium loco in generalissima, quibus omnis denique demonstratio nititur, principia inquiratur.

QUAE TOTIUS SUMMA — QUOTUBEX ONTOLOGIA?

VII. Ex his perspicuum est, ea, de quibus ontologia agit, ad tria suprema genera revocari. Primus principia demonstrationis generalissima; deinde proprietates entium maxime universales: postremo diversas eorum species expondere sunt: haec ego tandem sectionibus complector.

*Scol. Qui ontologia studium parum adferre utilitatis censem, quod multi sunt, qui sine ea non sernendas interdom progressiones in aliis disciplinis faciunt, ii noverint, oportet, confusas de ente, primisque ratioiniorum principiis ideas que vulgari facultatibus naturalium usu acquirunt, constitutae, quandam ontologiam naturalem, que frequentiore exercitatione exculta rudiores etiam in construendis rite ratiocinis non parum adjutat. At istud de praestantia ontologie artificiosae nihil demit: enim enim haec ideas confusas in distincta convertat, tantum illam antecellit, quantum cognitione distincta confusam (conf. §§. 44. seq. log.).*